JOSEPHI GIUSTI AD DANTIS ALEGHERII IMAGINEM CARMEN IN...

Giuseppe Giusti

JOSEPHI GIUSTI

AD DANTIS ALEGHERII IMAGINEM

CARMEN

IN LATINOS MODOS

PRO TEMPORUM RATIONE

LIBERE CONVERSUM

A

B. F. F.

LUCÆ

PER JOSEPHUM GIUSTI

PRID. ID. MAI. MDCCCLXV

O prima Italûm gloria, quo suum
Sermoni decus, qua modo gratia
E puncto redis, omnis ubi tacet
Curarum labor? Siccine patriam
        Ardes, ut repetas, tuam?
Huc e candido lumine coelitum
Obscurum in locum fas reditus tibi
Virtus sic Dei, te dolor aufugit.
Magnum mentibus tu dubium amoves,
        Votis qui bonus annuis.
Divinum ore nae mirum aliquid nitet,
Quod temet refert, effigiem tuor
Quaesitam diu; tum mihi dicere
Vox eccur sonos pectore comprimis,
        Nec vatem alloqueris tuum?

Ut praestat viro, lumine vivido
Il moeror genisque, et speculo gravis
Frontis, ceu maris sol rutilans aquis,
Mens fulget potens, nec timet invidos
Culpae nescia sordidae
Te vita in nova sidere dextero
Virtus, gratia atque ingenium capax
Auxerunt, datis comiter obvia
Alis a duce, ut fortis in aspera
Sylva altum aggrederere iter.
Nequicquam tuo sic populo dare
Nisus frena, nam tunc procul a domo
Mendicas cibum, fortior at malo,
Pollens viribus, dicere jam potes
Quas res cumque Deus capit
Aequa lance jus factaque ponderas
Exul, liberasque artis in ambitu
Alas explicas, musaque te nova
Tutatur via non homini data,
Ut tandem appuleris Deo.
Plus usque allicit quae tua visio,
Plus rursus sapit. Noverit omnia
Ut fructum legat, qui speculum sibi
Prudens fecerit, rectane dixerit
Prospectans videt illico.
Sed tota haud patet, nam veneres procul,
Qui fecit, tenet: nempe profunditas
Celat, quique vult ima tuerier,
Obtentu ardaum tentat, ut est amor,
Possit condita visere.

Hinc atque inde deducitur improbe
Quae sententia improvidos latet;
Ipsa aut semitis implicat inviis,
Qui quaerit novo consona tempori
Antiqui immemor ingenî.
Si quos aes juvat, lautaque fercula,
Aut arte aut dolo garrula venditant
Commenta. O tibi dux, columen, salus,
Imprudentibus litore nescios
Frustra solvere dicito.
Est et qui sapit; sed numero quidem
Parvo qui tuo tramite prodeunt
Ignaris tuae parce, Pater, viae;
Etsi quomodocumque aquilae suas
Pennas abripere est nefas.
Vates scilicet si tibi deditus
Usurpem tuos pertrepidans modos,
Quantum tempori conveniunt novo,
Huc adsis bonus, dum labor est tuam
Cymba pone sequi ratem.
Princeps o et auctor, decus et jubar,
Oro, suppetat quod studium atque amor
In temet fuit, cernerem ut omnia,
Queis et taedium venerit et minae
Audenti mihi in improbos.
Hinc est Tantalus forte scientiae
Ad mensam, et miser somnia jactitat
Delirans. Procul quomodo, mens, abis,
Si patrum vilis sidera diffugis,
Arctoum speculans polum.

Illinc calcitrat, mox asinus ferox
Ad praesepe cessat, subit et novas
Clitellas, levis plebs, balatro vafer
Libertatis ad munera confluunt
Juda turpius impio
« Antiqua Italos gloria deficit,
« Instat servitus et gravius jugum,
« Ultro at de montium Pede vindicem
« REGEM propulit tunc patrius vigor,
« Cui sceptrum Italiae datum
« Moerenti graves intumuit jecur
« Luctus, Imperi quos potior dedit
« Pars; atque in fugam se rapuit Geta
« Devictus — Tamen deperit in malis
« Princeps litoris Adriae
« Contra quae virûm pauper et ordinis,
« Nuper vermibus foeda forensibus,
« Florem polluit segnis et immemor,
« Exsurgit luto, fataque grandia
« Urbs discit sua gestiens»
« Vix credens sibi Parthenope suum,
« Cum starent adhuc ardua moenia
« Cajetae, caput sustulit impigra;
« Cum et trinacrius pergeret impetus
« Vim vi vincere perbuax.
« Et quod tempori subjacet en labat
« Qua sede in sua Religio docet
« Fastum aurumque sordescere regium
« Vis esto Fides, et melius teget
« Quos stans ara tuebitur.

Et quo Gabriel missus, et altera
Qua regnavit Urbs, incubuit dolor;
Fortassis simul rumpere vincula
Pergit quae manus ducit ad inferos,
Ut dein tollat ad aethera.
Europae Africaeque omnia perlegit
Gens, atque expetit quidnam Heliee ferat.
At quid cogitat navibus Albion,
« Et queis Gallia utitur artibus,
« Error subtrahit iovius.
« Gallorum novus cuncta per aequora
« Terrasque intuens, praecavet invidas
« Iras, et fides quae sit in hostibus,
« Quos mulcet timor, facile videns,
« Caesar magna silens parat
Sed te corporis pondere liberum,
Suavi quem Beatrix fovet osculo,
Tam dulcis comes, cuique amor et quies
Est vita, a tuis protinus avocant
Ad coelum intima gaudia.
Qua defit locus, temporis et vices,
Unus qua color, jam modo prospicis
In vitam integras restituet novam
Urbes Italûm qui regit aethera
Solemque omnipotens Amor.